



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Judiciis Ecclesiasticis Ad Germaniæ Catholicæ
Principia Et Usum**

De iudiciis civilibus

Zech, Franz Xaver

Ingolstadii [u.a.], 1765

Titulus VI. De Advocatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68163](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68163)

quæ iis, si in officio diligentes & fideles inveniantur, debetur, secundum loci consuetudinem, Curiaë stylum & boni Viri arbitrium.

TITULUS VI. DE ADVOCATIS.

Conf. Decretal. L. I. tit. 37.

§. 63.

EX PARTE Actoris & Rei considerantur inprimis *Advocati* litigantibus adstantes, Non loquimur hoc loco de Advocatis Ecclesiarum, nec de advocatis Fisci; sed de illis, qui privatorum causis patrocinium præstant. Igitur nomine Advocatorum intelliguntur causarum Patroni, qui in iudicio pro aliis postulant: postulare autem est, desiderium suum vel amici sui apud Judicem exponere, vel alterius desiderio contradicere.

§. 64. Advocandi munus semper in honore fuit: displicuit tamen cum aliis populis, tum etiam antiquis Germanis caninum advocatorum studium, optimum quemque adlatrandi,

E 3

&

& lites ex litibus ferendi. Tales haud dubie fuerunt Romani quidam Causarum Patroni, quorum aliis, post Vari Quintilii cladem, Germani oculos, aliis manus amputabant: unius os sutum, recisa prius lingua, quam in manu tenens Barbarus, tandem, inquit, vipera sibilare desiste 10.). In Capitularibus Francorum vocantur saepe Clamatores 11.): clamare enim in his Legibus idem est, ac postulare, in jus vocare, aut causam ad Judicem deferre. Coerceri tamen non nunquam debebant, qui importuno tumultu & clamore omnia turbabant. Unde in Legibus Wisigothorum 12.) Rex FLAVIUS RECESWINDUS constituit: *Audientia non tumultu aut clamore turbetur, sed in parte positis, qui causam non habent,*

-
10.) FLORUS Rer. Rom. lib. 4. c. 12. ¶
 11.) In Capitulari de Villis Caroli M. c. 29. item Capitul. lib. 2. c. 12. lib. 3. c. 7. ubi dicuntur *Clamatores vel Causidici.* & c. 59. *De Clamatoribus, qui magnum impedimentum faciunt in palatio ad aures Domni Imperatoris. Quod desumptum est ex Capitul. I. anni 810. c. 1.*
 12.) Lib. 2. tit. 2. leg. 2.

bent, illi soli iudicium ingrediuntur, quos constat interesse debere.

§. 65. Advocati esse possunt, qui *Quinam*
non prohibentur. Prohibentur au- *possint es-*
tem Minores septendecim annis, fe- *se?*
minæ, Judex in ea ipsa causa, in qua
Judex futurus est 13.) subditus con-
tra Principem, nisi petita venia: vafal-
lus contra Dominum, libertus contra
Patronum, damnatus de calumnia,
notatus insigni infamia, alique om-
nes; qui legitimam personam standi
in iudicio non habent. In Camera
Imperiali, multisque aliis Tribuna-
libus non admittuntur, qui non sunt
insigniti Gradu Academico Doctora-
tus vel Licentiatus. *Clerici coram se-*
culari Iudice 14.) Advocati in negotiis

E 4

secu-

13.) L. 6. C. de Postulando. In quadam il-
lustri Reipublica litigantes rogant quen-
dam ex Senatoribus, ut causam suam
in Senatu proponat: recusare id non li-
cet, nisi grave obstet impedimentum.
Hic igitur expositis omnibus, quæ cau-
sæ videntur favere, resumit suum lo-
cum inter Senatores, & cum iis suffra-
gium fert pro ea parte, quæ meliorem
fovere causam existimatur. Multæ re-
quiruntur conditiones pro hoc praxiali-
bi introducenda.

14.) Clericos posse postulare apud Iudices

secularibus fieri non præsumant: nisi propriam causam, vel Ecclesiæ suæ fuerint persecuti, vel si necessitas immineat, pro personis conjunctis, aut miserabilibus, quæ proprias causas administrare non possent: cum Sacerdotis sit officium, nulli nocere, omnibus autem velle prodesse 15.). Et si enim per Advocati patrocinium uni ex litigatoribus consulatur; alter tamen læditur. Sed si non potest subveniri alteri, nisi alter ledatur, commodius est neutrum juvari, quam gravari alterum 16.). Licitum tamen est Clericis, imo iis est proprium, defendere & tueri innocentes oppressos, vel peccatores pœnitentes a supplicio liberare, exemplo Christi, qui defendit Magdalenam contra Phariseum, & liberavit suo patrocinio adulteram. Secernunt dicta jura personas, quarum major haberi ratio ob conjunctionem potest: quo autem ordine, & quibus potius officia nostra deferre debeamus, recenset AULUS GELIUS 17.): *Primum juxta parentes locum tenere*

Ecclesiasticos, praxis Curia Romanæ ostendit.

15.) C. 1. & 3. de Postulando.

16.) C. 10. XIV. q. 5.

17.) Noct. attic. lib. 5. c. 13.

vere pupillos debere, fidei tutelaque nostra creditos; secundum eos proximum locum clientes habere, qui sese itidem in fidem patrociniūque nostrum dediderunt; tunc in tertio loco esse hospites; postea esse cognatos, affinesque. Ex his colligimus, quis præferri debeat in collisione officiorum, si tamen dicti Philosophi Ideas sequi lubeat.

§. 66. Munus Advocati strictius *An Clerici & Monachi?* prohibetur Religiosis, non tantum Monachis, sed etiam Canonicis Regularibus 18.). Clericus autem, qui contra Ecclesiam, a qua Beneficium obtinet, pro extraneis Advocatus esse præsumit, tanquam ingratus potest Beneficio hujusmodi spoliari 19.); videtur tamen tale patrociniū contra Ecclesiam suam susceptum Clerico non esse prohibitum pro personis conjunctis & miserabilibus. Nam etiam Decuriones prohibentur Causidicos agere contra Rempublicam Civitatis, in qua honorem hunc consecuti sunt 20.);

E 5 nihi-

18.) C. 2. de Postuland. C. 4. Ne Cler. vel Monach. vid. GONZAL. ad dict. tit. de Postulando.

19.) C. 3. de Postuland.

20.) L. 2. C. de Advocat. divers. Judiciorum

nihilominus Decurionibus contra patriam suam, & advocato Fisci adversus Fiscum causam licet agere *suam, vel filiorum & parentum suorum, vel pupillorum, quorum tutelas gerunt* 21.) Diaconus quidam Cpolititanus 22.) a Patriarcha Luca advocatum agere prohibitus, coram Tribunali Imperatoris Manuelis Comneni, præsente Patriarcha ostendere conatus est, antiquos Canones & Leges prohibere solummodo Clericis, ne in Collegio aliquo advocatorum, confirmante Magistratu seculari sub Primicerio, stipendiis Cæsareis provisi, mundanis Advocatorum officiis fungerentur: proin non actionem, sed modum a Canonibus puniri &c. Similia cum dixisset, applausumque illi esset, etiam a Patriarcha patrocinari, ut antea, permissum illi est. Inepta hæc erat interpretatio Sacrorum Canonum: ad quam confugere opus non est, si dictas limitationes, sub quibus postulare Clericis conceditur, observare lubeat. Quinam autem Clerici

21.) L. 10, ff. de Postuland.

22.) Apud LEUNCLAV. Jur. Græco-Rom., tom. 1. lib. 3. fol. 225.

rici postulare prohibeantur, discimus inprimis ex Concilio Emeritensi 23.), quod statuit, *ut nulli Presbytero, vel Diacono, sine voluntate Episcopi sui, licentia sit seculares peragere causas, aut injunctiones expedire publicas.* Nulla hic fit mentio Subdiaconorum, quorum ordo in illis Provinciis eo tempore non erat sacer, sed inter minores numerabatur: postea autem in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. prohibitio hæc non tantum ad Subdiaconos, sed etiam ad Clericos inferioris gradus, si stipendiis Ecclesiasticis sustententur, protensa fuit: nam stipendiis destitutos penuria excusaret 24.).

§. 67. Dotes præcipuæ Advocatorum sunt Ingenium, Eruditio, Juristorum doctuscientia, Facundia, Judicium, Usus, Experientia, Justitiæ præsumptio, honesti Natales, Probitas vitæ, & veræ Religionis Zelus. His dotibus cum multi præditi non sint, mirum non est

23.) C. II. quod a GARSIA LOAYSA in Collect. Concil. Hispan. adscribitur Eræ 704. id est, anno Christi 666.

24.) Arg. L. 2. C. de patrib. qui filios destrax.

est, quod fama & munus Advocatorum apud multos pessime audiat. Reges Hispaniæ prohibuerant olim, ne ICti & Advocati in Indias navigent. BOCALINUS in Relationibus ex Parnasso 25.) inducit ICtos conquerentes contra Edictum: Apollo autem istud laudat, & multa convitia in ICtos jactat.

Vitia.

§. 68. Vitia & malas artes Advocatorum eleganter describit AMMIANUS MARCELLINUS 26.) : inter alia improbat maledicentiam eorum, qui quum ad inopiam muniendarum venerint allegationum, ad effrænatam deflectunt conviciandi licentiam. Quæri tamen solet, an liceat crimen occultum Adversarii objicere? Respondent communiter, licere hoc, si fiat ob necessitatem vel honestum finem, mere ad defensionem. Exemplo sit, si quis instituisset personam turpem hæredem, præterito fratre, licebit propalare, quod frater sit spurcius. Item potest testi opponi perjurium, præsertim si iste se sponte ad
te-

25.) Cent. 1. Rel. 83.

26.) Histor. lib. 30. §. 6, & 7.

testimonium offerat, & aliter pre-
pelli nequeat.

§. 69. Commendatum etiam fit *Commen-
Advocato veritatis studium*: nam *os datur ve-
quod mentitur, occidit animam 27.)*, quod *ritatis
Divinum effatum S. Andream Avelli-studium.*
num ab agendis causis forensibus ab-
sterruit. Unde nec mendacium, nec
proprie dictum falsiloquium sibi lice-
re credat, quo Adversarium decipiat.
quando igitur *Glossa 28.)* ait, quod
Advocatus, si habet justam causam,
licite possit decipere Adversarium
suum; intelligi id debet de circum-
spectis cautelis, aut etiam æquivo-
catione sensibili. Exemplum solet
dari 29.): quod si revera mutuum
reddiderim, possum etiam juramento
affirmare, me nihil a te habuisse;
quilibet enim prudens facile intelli-
git, id dici de mutuo, ad quod re-
stituendum nunc teneor, de quo e-
tiam ego petitionem Actoris intelli-
go. Unde nihil loquor contra men-
tem meam; proin nec mendacium,
nec falsitas subest: si alter decipia-
tur,

27.) Sapiens. I. 11.

28.) In C. 2. XXIII. q. 2.

29.) MYNSING. Cent. 3. obs. 6.

tur, suæ imprudentiæ adscribat necesse est. Insuper non potest Advocatus per proditionem alterius Acta inspicere.

*Eorum
officium.*

§. 70. Officium Advocatorum desumitur ex Juramento, quod præstandum proponit Justinianus 30.), & ordinatio Camerae Imperialis 31.). Si causam jure non fundatam, nec probabilem litigandi rationem subesse deprehendat; eam contra conscientiam propriam, & Juramentum Justitiæ præstitum, defendendam non suscipiat, ne Judicium temere litigando fatiget, Actoremque inanibus sumptibus vexet. Si ex ejusmodi ratione Advocatus causam deseruerit, *nulla licentia concedatur spreto litigatori ad alterius Advocati patrocinium convolare, ne melioribus contemptis, improba advocatio subrogetur 32.).* Obfirmet igitur Advocatus animum contra spem lucri, aut respectum personarum, ne
cau-

30.) Ad finem Novellæ VIII. translatum in Auth. post Leg. 14. §. fin. C. de Judiciis.

31.) Part. 1. tit. 62.

32.) Cit. Leg. 14. §. fin.

causam injustam defendendam suscipiat, exemplo Papiniani, qui Caracallam occisorem Getæ fratris noluit defendere, dicens, non tam facile esse homicidium excusare, quam patrare 33.). Licet tamen defendere criminosos detectis circumstantiis minuentibus eatenus, ne graviori, quam mereantur, supplicio plectantur.

§. 71. Advocatorum munus & Officium consequitur Dignitas & Honor, variaque Privilegia 34.). Nam sunt Nobiles: gaudent privilegiis militum & beneficio competentiae: nequeunt subjici tormentis: possunt uti splendidiore vestitu: Salarium eorum est in peculio quasi castrensi: immunes sunt ab oneribus personalibus. Debetur etiam Advocatis Honorarium, quod datur vel ex publico, si publicæ rei, scilicet Fisci aut Civitatis consulant, aut pauperum causas tueantur: vel ex conventionem
&

Et Privilegia.

33.) AELIUS SPARTIANUS in Caracalla.

34.) De Privilegiis Advocatorum passim agunt Interpretes Juris Canonici & Civilis ad Titulos de Postulando, de Advocatis diversorum Judiciorum, de Advocatis diversorum Judicium, de Ad-

& pactione privata, quando causis privatorum patrocinantur, quod ex consuetudine æstimandum, vel arbitrio Judicis secundum qualitatem personarum & rerum, non autem juxta numerum foliorum; exigendum dein vel ex stipulatu, vel ex officio Judicis. Promissum hoc salarium præstari debet, etiam perdita causa, modo non sit perdita ex culpa Advocati 35.). Si salarium annuum sit constitutum, statim initio anni cedit, ut ad hæredem transmittatur 36.). Pro constituto salario non tenetur Advocatus servire in secunda Instantia, nisi appellatum sit a sententia Interlocutoria. Laborans in propria causa, a condemnato in expensas non potest exigere salarium, nisi impeditus fuisset ab alio lucro. De quota litis cum Cliente pacisci non licet. Palma-

vocatis Fisci. præsertim STRYCKIUS
Differt. Vol. I. Disp. 15.

35.) Huc pertinet MARTIAL. lib. 8.
Epigr. 27.

Egi Sexte, tuam, pactus duo millia, causam:
Misi nummos quot mihi? Mille. quid est?
Narrasti nihil, inquis, & a te perdita causa est,
Tanto plus debes Sexte, quod erubui.

36.) Arg. L. 15. §. 1. C. de Advocat. di-
vers. Judicior.

Palmarium ratione victoriæ licet accipere : exigi non potest, ubi Advocati jurant, se nihil exacturos ultra consuetum Salarium.

TITULUS VII.

DE PROCURATORIBUS

Conf. Lib. I. Decretal. tit. 28 & 29. In Sext. tit. 19. in Clement. tit. 10.

§. 72.

Post Advocatos, qui litigantibus *Procura-* adstant, considerandi veniunt *tor Judi-* illi, qui alieno nomine agunt, scilicet *cialis ali-* cet Procuratores & Syndici. *Procu-* *ena nego-* rator dicitur, qui aliena negotia *tia admi-* dato Domini administrat. De Extra *nistrat* judicialibus diximus quædam (*de Jur.* *rer. Eccles. Sect. 4. tit. 7. de Mandat.*). In multis tribunalibus iidem Advocatorum & Procuratorum munus simul gerunt. De jure communi quidem Advocatus dignitatem obtinet; & Procuratio censetur vilis & plus oneris, quam dignitatis habere : in Camera autem Imperiali nemo in numerum

De Judicijs,

F

Pro.